

illi neminem: hoc si præstet, sine armis regem iturum. Ad 1508
 hæc Lauredanus respondit: Scire regem, quam propensa
 semper fuerit reipublicæ erga Federicum imperatorem pa-
 trem suum seque ipsum voluntas: quo magis indignum esse,
 bellum ab eo inferri non unis reipublicæ finibus, prædas
 abigi, castella expugnari: de eo se magnopere conqueri,
 deosque testes adhibere, non esse ita de rege meritam rem-
 publicam: sed rem se ad Senatum relaturum, deque ejus
 sententia responsurum. Nam quod a Cornelio literæ vene-
 rant, confidere Livianum, propeque recipere, hostes sibi
 pœnas cito datus, Patres respondendi Maximiliani lega-
 to tempus interponere volebant, dum a Carnis aliquid con-
 fecti afferretur. Legato autem socii sunt atque custodes da-
 ti, ne quis eum alloqui posset, cui Patres id non permis-
 sent. Livianus adductis ad se militibus mille octingentis,
 quorum erat dux Petrus Montius, vir magna virtute; equi-
 tibusque levis armaturæ ex Epiro prope ducentis, quibus
 præerant Palæologus & Busichius; tum ex iis qui sagittis
 utebantur, alteris fere totidem; graviorisque armaturæ ex
 ipsis & reliquorum turmis paulo plus ducentis: Saornia-
 ni literis ac nunciis de locorum situ, de hostium numero,
 deque belli rationibus admonitus, qui quidem jam adven-
 tabat, atque ab altera montis parte in trium pontium lo-
 co Germanos observare, eisque occurrere statuerat, prima
 luce hostes aggredi constituit. Is erat martii calendarum
 dies. Sed poptere quod nix ea nocte plurima ceciderat,
 prælium in aliam rejectum est diem: quod quidem secun-
 dissimum postridie fuit. Nam cum Germani, redeundi
 domum itineribus præseptis, ad se veniri certiores facti,
 ne intercluderentur, Venetos aggredi viamque ferro sibi ipsi
 aperire statuissent, atque in editiorem proximæ vallis par-
 tem cum impedimentis & tormentis se collegissent nume-
 ro ad duo millia quingenti, ut e loco superiore in Vene-
 tos subeuntes impetum facerent (erant autem e Maximili-
 liani comitatu, quamplurimis centurionibus viris fortibus
 interjectis) ipse acie instructa per nives recta progressus præ-
 lium audacissime commisit: eosque primo fortiter pugnan-
 tes,

Germano-
 rum clades
 ad Cado-
 ras.